





DE  
**OBLIGATIONE,**

DEO auspice,

*PRÆSIDI*

**JOH. EBERHARDO  
RÖSLERO,**

Philosophiæ Practicæ Prof. Publ. Ord. Du-  
calis Stipendii Ephoro,

Pro Licentia,

Summos in Philosophia honores capessendi,

Disputabit

**FRIDERICUS·DAVIDES CLESS,**  
Kircho - Teccensis.

Die 31. Julii Anno M DCCXXVII.

H. L. Q. C.

---

**TUBINGÆ,**  
Typis JOH. CUNRADI REISIL.

3,351. 5

15'53

1727, 5

9





## Q. D. B. V.

### §. I.

**D**E Obligatione disputaturi non opus esse arbitramur, ut, quod multis usitatum est, originem & compositionem vocis ampla deductio ne p̄mittamus, cum & propria vocis significatio satis nota sit, & tironibus quoque constet, antiquissimo usu, translatâ à rebus corporeis ad incorporeas, à naturalibus ad morales significatione, constrictione quandam libertatis & nexum moralem ea denotari, vi cuius voluntas, cum de facto in diversum tendere queat, contineri debeat, ne pro lubitu evagetur. Illud tamen observandum, sumi obligationem vel pro ipso obligandi actu transeunte, quo sensu, & quidem prout non tam in obligato quam in obligante consideratur, à Cumberlando de Leg. Nat. c. v. §. 27. definitur: Actus Legislatoris, quo actiones legi suæ conformes, eis, quibus lex fertur, necessaria esse indicat, vel pro effectu permanente per modum qualitatis in eo, qui obligatur, interveniente isto actu producto. Atque hoc posteriori significatu vocem à nobis hic sumi ex ipsa Definitione patebit.

### II.

Est enim Obligatio *Qualitas moralis passiva à Superiori*  
A. 2

*periore homini per Legem imposta necessitatem infrenens aliquid praestandi vel patiënti.* Eudem sensum habet definitio Pufendorfiana de Off. I. c. 2. §. 3. qua dicitur *vinculum juris, quo necessitate adstringimur rei alicujus praestanda, universalis & adæquata magis, quam illa Justiniani, cum Inst. L. III. tit. 14. definitur Juris vinculum, quo necessitate adstringimur rei alicujus solvenda secundum nostræ civitatis jura: In qua ultima verba nimis specialia esse, uti recte notat Cumberlandi. c. ita quod prima obscuritate quadam ex metaphoris oriunda laborare putat, excusari forsan haud difficulter potest, cum metaphoræ sœpe adhibeantur ad res obscuras illustrandas, & huic ipsi argumento comparatio cum vinculo non parum lucis afferre videatur. Etsi vero Pufendorfianam hanc vulgo sufficere patamus, accuratiorem tamen illam, à Pufendorfo alibi verbis parum mutatis adhibitam iis commendamus, qui doctrina de Natura Entium Moralia imbuti, indolem obligationis penitus introspicere, & rem quamlibet etiam in moralibus boni ordinis causa ad suas classes referre laborant.*

## III.

Definimus Obligationem *qualitatem moralem passivam*. Necessestum scilicet fuit ad ordinem & decorum vitæ humanæ conciliandum modos quosdam cum hominibus, tum eorum actionibus, quin rebus ipsis quoque superaddere, partim in ipsa istorum natura fundatos, partim ab imponentium arbitrio profectos, quos Entia moralia appellare solent. Hominibus qui imponuntur modi vel status sunt, vel qualitates, vel quantitates. Qualitatum (nam de statibus & quantitatibus hic solicii non sumus) aliæ sunt simplices aliæ operativæ. Illæ non tendunt ad actum aut operationem aliquam, sed per modum nudi attributi subjecto inesse concipiuntur idque denominant. Haec vero efficaciam quendam connorant, respectumque ad actionem involvunt, ita ut vel extendant laxentque libertatem hominis vel restringant atque

que coarctent. Quæ laxat libertatem, qualitas moralis **activa** dicitur, cuiusmodi est jus sive potestas: quæ restringit, passiva vocatur, & hæc est obligatio, qua nimitem naturalis agendi potestia constringitur, & intra certos limites concluditur, quos si egrediatur, non recte fecisse intelligitur.

## IV.

Dicitur Obligatio à *Superiore imposta*, qua voce non eum, qui quavis de causa alterum præcedit aut antecellit, sed qui potestate & imperio superior est, sive Imperantem intelligimus, cui justæ sint causæ, quare postulare queat, ex suo arbitrio alienæ voluntatis libertatem circumscribi. Justissimæ quidem præocul omni dubio causæ sunt DEO imperium exercendi in universum genus humanum, quippe quod beneficio creationis & conservationis ab illo penitus dependet. Cum enim & corpus & animam & vitam & facultates à DEO acceperint homines, & singulis momentis quasi de novo accipient: potest utique is, qui pro arbitrio suo dedit, & pro arbitrio destruere potest, certos limites præscribere facultatibus istis, & exigere, ut illis non aliter utantur, quam Conditori placuerit. Sed & homines nonnulli justas habent obsequium ab aliis hominibus exigendi causas, quæ tamen originem suam, radicem & fundamentum in ipso imperio divino habent. Ut enim de eo nihil dicamus, quod optimo jure aliis hominibus imperet, cui Deus ipse patefacta speciali modo voluntate sua imperium in illos commisit, quod in populo Judaico olim factum esse, cum Theocracia durabat, sacrae nos literæ docent: legitima quoque imperandi causa est officium per Legem Naturæ à DEO injunctum, quod sine imperio exerceri & administrari nequit. Atque hinc derivandum est Imperium parentum in liberos. Cum enim lege naturæ illi ad horum educationem obligentur, hæc vero absque directione actionum & imperio institui non possit, manifestum est, à DEO istis imperium esse concessum. Nam qui obligat ad finem, jus

ad media necessaria simul concessisse haud dubie intelligitur. Denique pacto iniri societates solent, & postulante generis humanae tranquillitate debent, in quibus alius imperium conceditur, alius obsequendi necessitas incumbit. Ubi qui se mel suam voluntatem alterius imperio subjecit in perpetuum, sine alterius consensu resiliere ab isto pacto nequit, cum pacta mutuo consensu inita Deus per Legem Naturae servari praecipiat. Atque haec quidem sunt iusta Imperii divini & humani causa. Præter iusta causas vero in Superiori seu Imperante requirunt vires, malum aliquod representandi contranitentibus. Sed haec quidem ad efficacem reddendam obligationem necessariae sunt, ubi homines pro ingenii sui pravitate illam non ultro expletant; ad ipsum jus imperandi constitendum non pertinent.

## V.

Cum itaque Obligatio non nisi à Superiori proficiscatur, sponte consequitur, Deum obligari non posse, & si quando id verbum DEO tribuitur, minus proprie id intelligendum esse. Licet enim Deus promissa sua non possit non servare, id tamen non ex obligatione aliqua proprie sic dicta provenit, sed quia divinae perfectioni repugnaret, vel mutant voluntatem, vel vanis promissis homines decipere. Reète Pufend. L. II. de I. N. & G. c. III. §. 5. Deus, inquit, si quid mortalibus promisit, id servat, non quod iussu promisso jus adversus DEUM quæsumus sit, sed quia magnitudine & bonitate ejus indignum foret, jubere aliquem frustra ab ipso quid servare. Quis enim, quod promisit, non servat, is vel facultate praestandi deficitur, vel ex levitate & malitia bene conceptum propositum post deserit, vel tempore promissi facti conditionem rerum, quæ tempore praestandi promissi est, ignoravit. Quæ omnia cum imperfectione sunt coniuncta. Unde promissa sua non potest non Deus servare, homo non debet non servare. Nec minus ex dictis colligitur, perperam assiri, legem Naturae obligaturam, etiamsi Deus non esset. Licet enim facile concedamus, ea, quæ Legis Naturae sunt, antecedenter

ter ad legis præceptum aut interdictum atque adeo abstrahendo ab existentia & providentia DEI convenientiam cum humanâ natura vel disconvenientiam, utilitatem vel noxam manifestam præfe ferre, adeo ut & Atheus & Epicureus judicare possint, convenire hominibus, ut temperanter vivant, neminem laedant, &c. quo sensu verba Grotii in Proleg. §. XI. accipi & excusari posse notat Barbeyrac ad Puf. L. II. c. 3. §. 19. & c. 4. §. 3. Obligationem tamen confingere sine Legislatore absurdum est, atque Ideæ uitestate obligationis adversum, nisi novam plane significationem huic voci, quod nonnullis hodie solenne sed parum utile est, tristruere velimus. Hanc in sententiam ita B. Ofiander, Academiarum nostrarum quondam Cancellarius celeberrimus ad Grotii l. c. commentatur: *Omnis obligatio descendit ex voluntate superioris, quomodo itaq; nisi esset superior, nisi esset Deus, hac officia possent descendere ex voluntate & imperio superioris.* Eo ipso itaque, quo Lex Natura proponitur, quo obligat ad iustum & rectum, etiam Legislator erit ponendus, à quo profecta ista lex, tum physice per inscriptionem in cor hominis, tum moraliter per obligationem ad officia in hac lege offensa. Similia his iam annotaverat Zieglerus ad eund. l. & prolixius Seldenus de I. N. & G. sec. discipl. Hebr. I. I. c. 7. & §. Denique & illud ex iis, quæ superiori §. differuimus, fluit, non modo Leges Naturæ vim legum non habituras, sed nullam omnino fore obligationem, si DEum tollas. Cum enim origo omnis Imperii etiam humani à DEO repeti debeat, sublato DEO nec imperium ullum, nec lex, nec obligatio erit, & reliquorum superiorum Leges tam diu saltim metum incutient, quamdiu potentes sunt. Vid. Ill. Thomasius IPr. D. L. I. c. 1. §. 136.

## VI.

Subjectum Obligationis est *homo*. De hoc enim solo nobis constat, quod ad recipiendam Obligationem aptus sit. Nam cum tria sint, quæ requirantur ad id, ut aliquis capax haberi possit obligationis, ut habeat superiorem, ut intellectu, & ut libera voluntate

Cate prædictus sit : omnia hæc in homine deprehendi naturam ejus  
rimanti palam est. Præterquam enim, quod nullus hominum ab  
imperio DEI exemptus est, habent & suos ex hominibus superiores  
plerique, quorum in se potestatem agnoscere tenentur. Insuper  
& cognoscere legem potest, quidve ea vel faciendum vel omit-  
tendum præscribatur, nec non quod malum transgressor sit pro-  
positum, intelligere; & pro libertate voluntatis actiones suas ad  
eam accommodare. Angelorum non est cur hic faciamus men-  
tionem, cum de iis non nisi ex S. Literis edoceamus. Bruta vero  
animantia nullam recipere posse obligationem, ipsorum natu-  
ra evincit. Neque enim sub imperio, sed sub dominio potius sunt,  
nec normam ejusque vim cognoscere possunt, nec actiones ita in  
potestate habent, ut has ad eam compcnere queant. Unde Ju-  
stinianeam ex Ulpiano desumptam Juris Naturæ definitionem,  
quaæ ad omnia animalia, quaæ in cœlo, quaæ in terra, quaæ in mari  
nascentur, illud pertinere afferit, ipsi cordatores Icti pro genuina  
non agnoscunt. Conf. Joh. Frid. Hornius de subiecto Jur. Nat.

## VII.

Imponitur Obligatio per Legem. Unde huic vis obligandi  
adscribi solet in instrumentaliter, vel ut alii loquuntur, notionaliter,  
seu significative, quia significat Legislator, cui illa principaliter  
& radicaliter inest, per Legem, quid faciendum vel omitendum  
subditis, quodve malum transgressoribus sit patiendum. Puf.  
L. I. c. 6. § 14. de I. N. & G. Et si autem pacto quoque obligatio  
dicatur induci, illa tamen ipsa potius ex lege, quam ex pacto est;  
omnis enim obligatio, quaæ ex pactis oritur, vim suam habet  
à Lege Naturali, quaæ fidem per pacta & promissa datam servare  
jubet. Falsum igitur est, quod Hobbesius ait: pactum obliga-  
re per se, legem autem obligatum tenere virtute pacti universali-  
lis de præstanta obedientia de Civ. c. XIV. Quamobrem recte  
Pufendorfius, cum cetera discrimina inter legem & pactum ex  
Hobbesio recensuerit, hoc ceu spurium omisit, I. N. & G. L. I. c. 6.  
§. 2.

§. 2. vid. Thomas. J. J. D. proœm. §. 38. & L. I. c. I. §. 29. 136. Unde & illud patet, quo sensu pacientes & se ipsos aliis & alios sibi obligare dicantur. Nempe non tam ipsi obligationem aut sibi aut aliis imponunt, quam pacificando efficiunt, vel occasionem porius dant, ut Lex Naturæ de servandis pactis vim suam actu exserat. Sic quoque Consilium nullam per se & directe ad fert obligationem: *Nemo ex consilio obligatur*, inquit Gajus 1Ctus, *etiam si non expedit ei, cui dabatur, quia liberum est cuique, apud se explorare, an expedit sibi consilium* l. 2. §. 6. D. Mandati. Obligationi tamen occasionem præbere potest, quatenus notitiam alicui imprimit eorum, ad quæ obligatum se lege intelligit. Ita Medicus pro imperio nequit ægrotō præscribere, quod ipsi adhibendum, quibus abstinentur: sed dum ostendit, quid huic salutare sit, quid exitibile, ægrotus illud amplecti, hoc fugere tenetur, non ex consilio Medici, sed ex Lege Naturæ, quæ unicuique curam vitæ & incolumentis sua imperat. Puf. L. I. c. 6. §. 1.  
de J. N. & G.

IIX.

Consistit autem Obligatio in *restrictione libertatis naturalis*, & *impositione necessitatis* non physicæ sed moralis, vi cuius homo, et si de facto voluntas ipsius in diversum tendere queat, interno tamen conscientiæ dictamine agnoscere tenetur, ni præscriptæ normæ conformis sit actio, non recte se egisse, & si quid mali eo nomine ipsi eveniat, non in merito id sibi accidere, cum normam, prout par erat, sequenti istud evitasse licuerit. Puf. Off. I. c. 2. §. 3. Differt nimurum necessitas physica à necessitate morali, quod per illam non possimus aliter agere, per hanc non possumus aliter recte agere. Patet simul, obligationem & coactiōnem non debere confundi. Coactio scil. repræsentato majori malo voluntatem inclinat velut naturali aliquo pondere, quo remoto haec ad indifferentiam suam ultro reddit, Obligatio vero moraliter voluntatem afficit, repræsentata justa imperandi & parendi causa. Illa facit, ut animus consultans minus malum ad maius evitandum ex ratione utilitatis eligat, non ita facturus

facturus, nisi præsens metus eo adigeret. Hæc vero, si mens reæ  
et se habeat, conscientiam stringit, ut voluntatem intuitu recti  
ad agendum moveat, etiam remoto præsenti metu suo officio  
haud defuturam. Puf. L. I. c. 6. §. 5. & 10. L. III. c. 4. §. 6. de I.N. & G.

## IX.

Imponit Obligatio *necessitatem præstandi aliquid vel patiendi.*  
Quicquid autem præstare debet homo, vel DEO, vel sibi, vel aliis  
debet: omnes ceteræ præstationes, quæ circa res alias versantur,  
ad unam ex his tribus obligationibus possunt revocari. Et DEO  
quidem aliquis hominibus quin possimus obligari, nullum est  
dubium. An vero sibi ipsi quoque obligari possit homo, non adeo  
extra omnem dubitationem positum est. Videtur enim talis obli-  
gatio frustranea. Nam cum obligatio expiret, quando alter, ad  
quem ea spectat, me liberare vult, si mihi ipsi obligatus fuerim, li-  
ber ero, quando voluero, adeoque proflus liber ero. Sed præter-  
quam, quod non quisvis obligationem alteri possit remittere, quod  
exempli conjugum & parentum patet: quando alicui obligari  
dicimur, non ita capiendum est, ac si ille, cui obligamus, obliga-  
tionem nobis imponeret, aut facultatem semper haberet, eam à  
nobis exigendi, sed terminus saltim, ad quem actio tendit, indi-  
catur. Deus autem est, qui hanc obligationem imponit, ejusque  
exercitium exigere, & neglectum vindicare potest. Sed & pa-  
tiendi aliquid necessitas moralis homini potest imponi, id quod  
non modo ad alia onera vel immediate per legem imposita, vel  
mediante pacto suscepta, sed etiam ad poenas & supplicia juste ir-  
rogata pertinet. De quo cum jam in Dissertationibus duabus  
de Obligatione Rei nostram exposuerimus mentem, eamque ar-  
gumentis corroboratam contra dissentientes defenderimus, hic  
denuo agere supersedemus.

## X.

Explicata Obligationis Definitione varias ejus Divisiones  
breviter enumerare animus est. Dividitur autem obligatio I.  
ratione originis in *connatam* & *adventitiam*. Connata omnibus  
homini-

hominibus, eo ipso quod tales sunt, cum ipsa statim nativitate ad  
 est, & plene se se exerit, cum primum per etatem eius vim intel-  
 ligere, actionesque suas ad eam attemperare possunt. Talis est  
 omnium hominum obligatio adversus Deum, tanquam Crea-  
 torem & Conservatorem, atque hinc Dominum & Rectorem su-  
 um, cuius vi ipsum non modo venerari, sed & imperio legibusque  
 ipsius obtemperare tenemur. Unde merito Pufendorfius non  
 modo Hobbesum castigat, obligationem erga Deum ex con-  
 sensu deducentem, quam tamen alibi ex potentia ejus irrefisti-  
 bili non sine manifesta contradictione derivat, sed & impiam at-  
 que inanem Spinozæ Hobbesio succinentis sententiam, *neminem*  
*ex natura scire, seu illa erga Deum teneri obedientia, & ius divinum*  
*ab eo tempore incepisse, à quo homines expresso pacto DEO promiserint*  
*in omnibus obediare, quo sua naturali libertate quasi cesserint jusque suum in Deum quaestranstulerint, sicut in statu civili sit, rejicit de I.N.*  
*& G. L. II. c. 4. §. 4.* Talis porro est obligatio omnium hominum  
 adversus quoslibet, ut eos tanquam aequos homines trahant, ab iis  
 laddendis abstineant, & commoda ipsorum promoteant. Quod  
 denudo observandum adversus Hobbesum, qui antecedenter ad  
 pacta unicuique licere facere quacunque & in quoscunque libe-  
 rat, assentit Elem. de Cive c. 1. §. 10. quod etsi excusare conetur Pu-  
 fend. de I. N. & G. L. II. c. 2. §. 3. recte tamen & Hertius & Bar-  
 beyrac ex ipsis principiis Hobbesi ostendunt, verba ex mente ejus  
 sensum illum mitiorem non admittere, cum is expresse statuat, *in*  
*statu naturali nemini fieri posse injuriam, & tum demum peccari con-*  
*tra Leges Naturales, si quis ad sui conservationem pertinere praten-*  
*dit, quod ne ipse quidem pertinere putat.* Talis quoque connata Obliga-  
 tio est obligatio liberorum erga parentes, vi cuius illi obedien-  
 tiam his debent & reverentiam, quam dum ex consensu quoquo  
 deducere vult Pufendorfius, hypothesi sua inservit, quasi omnia  
 officia hypothetica supponerent pactum aliquod expressum vel  
 tacitum; quam hypothesis alibi destruximus. Etsi non diffitea-  
 mur, petacta jam educatione, societatis & potestatis patriæ, eique

respondentis obligationis continuationem à consensu dependere. Adventitia Obligatio est, quæ jam natis sponte accersit, vel imperio superioris aut lege injungitur; Tales sunt omnes, quæ ex pactis & contractibus demum oriuntur, quæve ex legibus civilibus suam habent originem.

## XI.

Respectu Efficaciaz dividitur II Obligatio in *Perfectam & Imperfectam*. Quæ divisio tamen nonnisi ad obligationem erga alios homines pertinet. Illa est, quæ medis coactivis, nempe in statu naturali bello, in civili actione in foro intentata exigitur est. Hæc, quam nonnisi placidis modis, puta persuadendo, monendo, rogando, obstante licet exigere. Illi ergo respondet Jus perfectum; huic imperfectum. Jus perfectum in statu naturali ipse Deus dat vel immediate per Legem Naturæ in iis, quæ ad humani generis conservationem absolute sunt necessaria, vel medianis partis obligationem perfectam continentibus: in iis, quæ non sunt absolute necessaria, ut ut vitam socialem promoveant, qualia sunt officia humanitatis, beneficentiaz & gratitudinis, dat jus imperfectum. In statu civili summus imperans jus perfectum dat, dum quibusdam obligationibus actionem accommodat, cuius vi istæ in foro civili per subsidium Magistratus exigunt. Fundamentum igitur Obligationis perfectæ in statu naturali est necessitas incolumentis, imperfectæ necessitas commoditatis: quo fundamento mutato, hoc est, ubi ex necessitate commoditatis fit necessitas incolumentis, ipsa etiam obligatio imperfecta transit in perfectam. At in statu civili fundamentum obligationis perfectæ in legibus civilibus querendum est, quæ ad conditionem & salutem civitatum accommodari debent, plerumque tamen vestigia Juris Naturalis sequuntur. Cum igitur summi Imperantes legibus civilibus non sint obnoxii, neque adeo à subditis adversus illos possit actio in foro cum effectu coactivo institui, bellica vero coactio nonnisi inter eos, qui in statu naturali invicem vivunt, locum habeat: pater, illorum obligationem adversus suos sub-

subditos non quidem ob intrinsecam invaliditatem sed acceden-  
tem personis qualitatem vim tantum imperfectæ obligationis ha-  
bere. Vid. Puf. de I. N. & G. L. III. c. 5. §. 6.

## XII.

Originem & Efficaciam simul respicit illa ICtis usitata obli-  
gationis divisio, qua III. in *Naturalem*, *Civilem* & *Mixtam* dispe-  
scitur. Illam dicunt, quæ ex lege quidem naturali oritur, sed a-  
ctionem in foro civili non parit: sive illa alioquin perfecta sit, ut  
ex pactis nudis juré Rom. non dabatur actio; sive imperfecta, qua-  
lis circa officia humanitatis & gratiæ relationem est. Istam vo-  
cant, quæ ex sola lege civili profecta actionem parit, sed exceptio-  
ne elidendam, quo sensu contractus etiam metu extorti, vel do-  
lo eliciti obligationem producunt, cui tamen exceptio metus ac  
doli opponi potest. Hanc appellant, quæ ex Lege naturali orta  
per legem civilem confirmatur, adeoque & actionem & exactio-  
nem parit, qualis est obligatio ex contractibus antiquitus receptis  
& delictis orta.

## XIII.

Ratione subjecti dividitur IV. in Obligationem *equalitatis* &  
*inequalitatis*. Illa utramque partem in pari seu pristina conditione  
relinquit. Hæc illum, cui aliquid debetur, superiorem nobis con-  
stituit, ac potestatem seu imperium aliquod in nos confert, ut est  
subjectio, eaque vel universalis, qua omnes homines Deo obsequi-  
um praestare tenentur, vel particularis, qua certi homines aliis  
hominibus sunt obnoxii: & hæc denuo est vel publica, qua quis  
publico alicuius imperio est subjectus, ut cives & subditi sunt sub  
imperio civili, vel privata, qua quis sub privato alicuius imperio  
constituitur, quod liberis & servis contingit. Utraque est vel  
limitata vel illimitata.

## XIV.

Respectu durationis V. alia Obligatio est *perpetua*, alia *tempo-  
raria*. Illa non potest tolli, quam diu personæ, quibus inhæret, exi-  
stunt. Hæc vero tolli potest, vivis adhuc personis, quihius inhæ-

ret. Perpetua est obligatio hominum confata adversus DEum, ut & adversus alios homines; hoc tamen cum discrimine, quod illius exercitium nullo tempore possit suspendi, hæc autem cessare interdum quoad exercitium possit saltem ex parte, ubi quis cum altero in statum belli devolvitur. Hactenus tamen & hæc perpetua est, quod quilibet, quantum in se est, & quantum propriæ salutis ratio permittit, curare deberet, ut pax restituatur, & socialitatis officia denuo invicem præstentur. Liberorum erga parentes obligatio, non quidem quoad obedientiam, (hæc enim soluta societate cessat) sed tamen quoad debitum reverentia & gratitudinis perpetua quoque regulariter est. Cum tamen gratitudo supponat beneficia, & debitum gratiarum referendæ censeatur remissum ab eo, qui acerbitate injuriarum beneficiorum suorum gratiam ipse delere nititur; videtur ultima hæc obligatio in casibus istis extraordinariis cessare, quando parentes infantis nati curam nulla urgente necessitate abjiciunt, & omni ope humana destitutum exponunt, aut cum deinceps educationem ejus turpiter negligunt, vel alias in sensu animo salutem ejus everlum eunt. Quæ inter conjuges intercedit perpetua obligatio, non ex lege naturali, sed divina positiva universali est. Secundum illam enim obligationes mutuo consensu contractæ mutuo dissensu dissolvi possunt: ast hæc nisi principali capite pacti violato dissolvi illud verat. Quanquam nec rationes naturales desint, quæ divortiorum promiscuam licentiam, si non prohibeant, saltim dissuadeant. Temporariae obligationes variis modis dissolvuntur, expletione, compensatione, condonatione, mutuo dissensu, alterius partis perfidia, status mutatione, tempore, &c. de quibus vid. Puf. de I. N. & G. L. v. c. II. & de Off. H. & C. L. I. c. 16.

## XV.

Denique si relationem & respectum, quem Obligationes inter se habent, consideremus, dividitur VI. Obligatio in *Mutuum & Non mutuum*. Illi in altero, cui obligamur, alia obligatio erga

erga nos responderet, vi cuius ille nobis vicissim aliquid præstare tenetur. Hæc nullam in altero obligationem sibi respondentem habet. Posterioris generis est obligatio hominum erga Deum, & quæ versus homines ex contractibus quibusdam unilateralibus oritur. Prioris generis obligations sunt vel *equaliter* vel *inequaliter mutua*. Illæ sunt, quæ sibi invicem respondent in eodem genere, perfectæ perfectæ, imperfectæ imperfectæ: Hæc, qua ita sibi respondent, ut ad unam referatur alia disparis generis aut efficacie. *Equaliter mutua* est obligatio, qua singuli à mutuis lesionibus abstinere, alter alterius commoda promovere tenetur. *Inequaliter mutua* vel oritur ex personarum inæqualitate, qualis est obligatio inter principes & subditos mutua, disparis scil. efficacie, de quo supra § 11. vel ex ipsa negotiis natura, ut quando quis perfecta promissione gratuita jus verum in alterum transfluit, unde perfecta obligatio oritur, cui tamen in altero nonnisi imperfecta ex lege gratitudinis respondet.

## XVI.

Sunt inter recentiores magni nominis Philosophi, qui obligationem distinguunt *Internam* & *Externam*. Internam definunt, quæ oritur ex conscientia periculi naturalis ex ordinatione potentia prima & externa necessario operantis, ut evitari non possit, vel lucri ex natura rei etiam necessario proficiens: Externam, quæ oritur ex metu & spe lucris & periculi incerti ab arbitrio humano dependentis, quod absuta forte eludi vel alio modo evitari potest. Porro ex illorum sententiis imperium producit obligationem externam, consilium saltim intrinsecum: sapientis autem internam habet pro nobilissima specie, quia timet malum necessarium, & sperat bonum necessarium. Unde & obligatio sapientis magis est interna quam externa. Nobis hæc sententia multis magnisque difficultatibus premi videtur. Nam 1. in eo differt Obligatio à Coactione, quod hæc metu externo proposito voluntatem inclinet, illa consideratione justarum imperandi & parendi causarum conscientiam intrinsecè afficiat. Esi vero obligationis naturalis primo sit conscientias strigere, eadem tamen efficacia obligationi quoque civili communicatur, siquidem hæc versetur circa objectum priori non repugnans. Adeoque & Leges civiles, quæ naturali juri non repugnant, conscientiam afficiunt. Vid. Puf. de J. N. & G. L. III. c. 4. §. 6. Sanderon de Conf. Præl. V. conf. Rom. XIII. 5. Unde omnis obligatio sua natura interna est, cui si sponte satisfacere nolint obligati, vis coactiva adhibenda est, quæ obligationis exteriorum effectum promoveat. 2. Obligatio illa legum naturalium nimium videtur laxati, si ipsæ leges naturales ut mera consilia concipientur, & illarum obligatio non nisi à spe præmiorum naturalium & metu

metu pœnarum naturalium in hac vita suspendatur, quod utrumque tamen hic supponitur. Ast cum negari nequeat DEum habere imperium in genus humanum, neque concipi is possit, quasi imperium non haberet, voluntas vero imperantis subditis quoconque modo significata vim legis habeat, non facile intelligitur, quomodo id, quod DEUS ab hominibus fieri velle per rationem ostendit, pro mero consilio & non potius pro iussu ac præcepto sit habendum. Quodsi vero aliquis renunciare malit lucro, quod consilia ista promittunt, aut subire periculum, quod minantur, quam care re præsentis voluptate, quam ex consiliorum neglectu sibi imaginatur, quod fieri facillime potest, sine conscientia remorsu jam quidvis agere poterit. Accedit quod effectus malariorum actionum naturales saxe intercipiantur, & quibusdam scelera sua lucro cedant. Unde debilis est admodum illa obligatio, quæ ab incerto illo periculo, quod homini affectibus indulgenti non videtur, ut ejus declinandi gratia vim suæ propensioni inferat, dependet. Atque hinc ratio ipsa satis probabiliter dicitur, si penas alias quoque quam naturales illas hujus vitæ & lucro delictorum longe graviores esse fancitas à DEO, nisi velim afferere, parum illi cura esse, viventes homines secundum dictamen rationis, an illud negligant. 3. Obscurum est, quid per potentiam primam & æternam necessario operantem intelligatur; Naturalis enim ille nexus libero potius DEI arbitrio originem suam debet, qui ita sapientissime instituit, ut bonas actiones sua sequantur præmia, malas pœnae. 4. Revocatur hoc modo & confirmatur ab eruditis jam exhibilata & profligata Scholasticorum sententia, qua legem naturæ obligaturam, etiamsi DEUS non esset, afferunt. Nam si obligatio unice pender à consideratione bonorum & malorum, quæ actiones, quas lege naturæ præceptas aut prohibitas esse alii statuunt, consequuntur, non opus erit, ut vel existentiam vel providentiam DEI in legum naturæ obligacione supponamus. Sed 5. etiam Atheneus aut Spinosista ob illam naturalem bonorum & malorum cum actionibus connexionem ex faciens, quibus vitæ hujus commoda promoventur, & omittens ea, quibus mala sibi accersere potest, obligatio si suæ satisfaceret, & pro viro sapienti & probo foret habendus: cum tamen ille demum officium suum recte fecisse censendus sit, qui non tam ob spem præmiorum aut metum malorum sive naturalium sive arbitratorum, quam ut legi & imperanti obediuntiam præstet, actiones illi suas conformat.

Tübingen, Diss., 1725-31

f



56.

W18



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-402376-p0020-0

DFG

C

J

P

**Farbkarte #13**



TIONE,

spice,

DE

A HARDO  
ERO,

prof. Publ. Ord. Du.  
Ephoro,

ntia,

honores capessendi,

oit

VIDES CLESS,

censis.

D CCXXVII.

C.

IGÆ,  
RADI REISIL.

3,351. 5.

1553

1727. 5.

9